

1987-06-05 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Sescentesima Anniversaria Memoria’

**IOANNIS PAULI PP. II
SUMMI PONTIFICIS**

**LITTERAE APOSTOLICAE AD EPISCOPOS LITHUANIAE
SESCENTESIMO ANNO EXPLETO
EX ACCEPTO A LITHUANIA BAPTISMO**

*Venerabilibus Fratribus
Ludovico Povilonis
Administratori Apostolico Kaunensi et Vilkaviškensi
Conferentiae Episcopalis Lithuaniae Praesidi
et Episcopis Lithuaniae.*

Dilectissimi in Episcopatu Lithuano Fratres,

1. Sescentesima anniversaria memoria “Baptismi” vestrae Nationis, quam hoc gratiae anno sollemniter agitis, vobis vestrisque fidelibus occasio est fidem altius perscrutandi, deprecationis et spiritualis renovationis, quam Ecclesia universa impense et fraterne coniuncta communicat.

Sicut variis in adiunctis memoravimus-et, recens, in homilia S. Missae superioribus calendis Ianuariis celebratae-tota Ecclesia hunc festum annum, tam significantem, commemorat, et item vobiscum Deo gratias persolvit “super inerarrabili dono eius” (2 Cor. 9, 15). Ecclesia Romana omnesque Ecclesiae sorores toto terrarum orbe diffusae ad fervidam precationem gratiarum actionis se aggregant, quam vos ad Dominum attollitis ob inaestimabile “Baptismi” munus, ob consensionem quam hic in vestris gentibus invenit et ob beneficia, quibus idem eas affecit, ob denique vim et fervorem, quibus patres vestri in vicissitudinibus historiae sexies saecularis illum servaverunt et excoluerunt.

Ecclesia universalis conscia sibi est et memor magnae spiritualis ubertatis, quam Communitas catholica Lithuana ad communionem ecclesiam attulit et nunc quoque affert (*Lumen Gentium*, 13), et in eius saeculari testimonio fidelitatis erga Christum Spiritus Sancti actionem agnoscit, qui “virtute Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat et ad consummatam cum Sponso suo unionem conducit” (*Ibid.* 4).

Ut nostis, ad significandam hanc vobiscum communionem, die proximo duodetricesimo mensis Iunii, eodem tempore quo Vilnae celebratio agetur nationalis, Nos super Apostoli Petri sepulcro sollemni praesidebimus concelebrationi, inter quam gaudio exultabimus, quod in beatorum numerum populi vestri filium et Pastorem referemus: Archiepiscopum Georgium Matulaitis. Delegati Episcoporum continentis Europaeae Nobis aderunt, quorum praesentia modo etiam visibili indicabit Nos spiritu Ecclesiae Lithuaniae esse vicinos.

2. Lithuanarum gentium conversio ad Christianismum obtigit aliquibus saeculis post propinquorum populorum veteris Europae conversionem. Quasi forcipe circumdati inter Orientem, unde populi Slavici premebant, et Occidentem, unde strenui Equites Teutonici procedebant, patres vestri ineunt etiam saeculo XIII, formas liberae Civitatis stabilierant, quae tota insistebat in suam libertatem defendendam iusque suum tuendum. Eiusmodi propriae, publicae et geographicae, condiciones declarant cur Lithuani diu Cruci accipiendae obstiterint ab iis qui contra eos gladios destringebant et occupationem minitabantur.

Sane ut se de coercionibus externis subduceret anno MCCLI Magnus Dux Mindaugas ad fidem catholicam statuit se convertere, et in huius Apostolicae Sedis peculiarem fidem se contulit, et a Papa Innocentio IV regiam obtinuit coronam. Qui Pontifex simul constituit primam dioecesim Lithuanam voluitque eam uni Sanctae Sedi esse subiectam. Sed conversioni Mindaugas, non convenienter praeparatae, populus restitit, qui exemplum Magni Ducis non est secutus. Iam ante annum MCCLX Episcopo recedendum fuit et anno MCCLXIII funesta Mindaugas mors evanidi illius veris finem fecit.

3. Plus saeculum exspectandum fuit, ut splendidus “Baptismi” dies illucesceret. Haec opera fuit et laus insignis Lithuaniae filii, Magni Ducis Jogaila, qui anno MCCCLXXXVI una cum suis subditis in fide catholica baptizari voluit, et coronam obtinuit Poloniae et Hedvigem reginam et matrimonium, egregiam christianam mulierem, quae nunc quoque

Cracoviae uti Beata colitur. Per quattuor subsequencia saecula, historia Lithuaniae notatur singulari sortis communione, tum publicae tum religiosae, cum Polonia.

Anno MCCCCLXXXVII, rex-qui nomen sumpserat Vladislaum- Vilnam reversus est, Magni Ducatus caput, et incepit populi conversionem, qui universus baptismum accepit, etiam ob propriam ipsius regis sedulitatem. Constituta est eo anno dioecesis Vlnensis et primus Episcopus est franciscanus Andreas nominatus, qui iam inter gentes vestras missionarius fuerat.

Anno MCDXIII Iogaila, una cum consobriano Magno Duce Vytautas, se dedit incolis Lithuanis Samogitiae evangelizandis. Aliquot post annos Concilium Constantiense designavit illi regioni suos Legatos, qui dioecesim Mednicensem instituerent, primum Episcopum Matthiam consecrarent, et gentium conversionem perficerent.

Rex Iogaila, vir corde simplex et egregius, vitam egit christianis virtutibus excellentem, explicans opera pietatis et misericordiae et sortem Ecclesiae vivo studio curans. Sapientibus consiliis usus est ut liberae fidei catholicae disseminationi atque confirmationi faveret in omnibus Magni Ducatus regionibus.

4. “Baptismus” vestram Nationem addidit ad magnam familiam populorum christianorum Europae, ad illam “christianitatem” quae alte distinxit eventus continentis et huius est praestantissima communis hereditas et fundamentum futurae pacis aedificandae, veri progressus veraeque libertatis. Lithuania ita participabat etiam magnam culturae mutationem, quae eo saeculo in Europa exoriebatur, principiis christianis permeata et expostulationibus studiorum renovatae humanitatis, quae in fide maximas causas inveniebant et exordium provehendi magnos eos “valores”, qui Europae historiam claram fecerunt et in ceteris continentibus beneficam eius praesentiam (Giovanni Paolo II, *Atto europeistico a Santiago de Compostela*, 9 nov. 1982: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, V, 3 (1982) 1260).

Ex hac addictione Lithuania novum et copiosum vigorem virium spiritualium traxit, quae gradatim variis formis culturae, artis et constitutionis societatis expressae sunt. Paulatim terra vestra ecclesiis et coenobiis impleta est, quae sedes fuerunt, unde fides et cultior vitae usus simul prorepserunt. Volventibus enim saeculis, et iuxta eventuum mutationem, cum opere evangelizationis coniuncta sunt educationis et institutionis populi incepta, cum domibus religiosis iunctae scholae, et vita fidei se duravit cotidiano exercitio caritatis per multiplices formas assiduitatis et proventus societatis.

Quod ad hoc spectat, memorare momentum cupimus operae Ordinum religiosorum: Dominicanorum et Franciscanorum, qui primi ad vestras gentes venerunt, deinde Benedictinorum, Franciscanorum novae Observantiae (qui vulgo Bernardini vocabantur, a Sancto Bernardino Senensi), Basilianorum.

5. Alii Ordines et Congregationes religiosae vitam Ecclesiae in Lithuania redintegraverunt, quae propter Ecclesiam reformatam tempus agebat languoris et multas experiebatur desertiones. Peculiaris mentio facienda est operae explicatae a Societate Iesu, quae de executione Reformationis a Concilio Tridentino excitatae singulariter bene merita est. Anno MDLXX, sodales Societatis Iesu clarum aperuerunt Vilnae Collegium, quod novem annis post factum est prima Studiorum Universitas Nationis, vera sacerdotum et doctorum officina.

Catholicae Ecclesiae laetae instaurationi coniunctus est vocationum sacerdotalium et religiosarum auctus. Incepta peracta sunt pro populo; qualia fuerunt: Bibliothecae, librorum religiosorum impressio, ephebea pro scholasticis pauperibus, medicamentariorum tabernae populares, consociationes et sodalicia, artium et professionum scholae. Sed ante omnia inita est accurata et impensa actio apostolica apud pauperes, in campis, ubi condiciones exsistebant servitutis et acerbissimae indigentiae et potior animadvertebatur necessitas nuntii liberatoris caritatis evangelicae.

6. Eiusmodi indefatigato labori pastorali respondit, modo solacii pleno, Lithuaniae gentis alacritas. Christianismus verum fuit fermentum evangelicum Nationis, eius vitam cotidianam suffudit, in ea penitus immisit radices eiusque quodammodo anima factus est. Populus sivit se fide permeari, cuius forte et sincerum testimonium dedit etiam difficilioribus historiae suae temporibus cum doloribus et rebus adversis afficiebatur.

Hic quasdam significantiores huius fidei declarationes iuvat Nos memorare, per ignem quidem probatae (*1 Petr.* 1, 7). Recogitamus imprimis de antiqua et fervida fidelium pietate erga Christi Passionem, innumerabilibus crucibus subrectis in marginibus viarum confirmata, usitatis Iesu Patientis imaginibus, peculiarem artem popularem experimentibus; locis appellatis “Kalvarija”, stationibus “Viae Crucis” instructis, qui meruerunt ut terra vestra vocaretur “crucium terra”.

Et quomodo obliviscamur, in hac initii Anni Marialis avida expectatione, magni amoris fidelium Lithuanorum erga Dei Matrem? Virgo Sanctissima, Mater Misericordiae, peculiari modo colitur et invocatur ad Portam Aurorae Vilnensem, sicut et in aliis frequentatis sanctuariis, sitis in locis: Siluva, Zemaiciu Kalvarija, Krekenava, Pivasiunai. A saeculis, et hodie quoque, ad haec loca fidei et pietatis confluent fideles peregrinantes omnium dioecesium, magno cum fervore et saepe non sine labore et incommodis. Hi se credunt Ei, quam Christus in cruce, supremo motus amoris actu, nobis Matrem et Deprecatricem gratiae donavit.

Velimus, denique, communitati catholicae Lithuaniae aliud eius clarum fateri signum indefecti amoris Christi et vitalitatis ecclesialis, videlicet flagrantis dilectionis et plenae devotionis, qua semper Sedi Petri iuncta mansit, cui Dominus ministerium delegavit confirmandi fratres eosque devinctos servandi in Ecclesiae suae communione, Petram eum stabiliens aedificii spiritualis, contra quod nihil possunt inferorum vires.

7. Ecclesia ita demersa est et, dixerimus, eadem facta cum rebus Nationis, ut ad eam se applicaverint patres vestri omni tempore, sed praesertim periculis occurrentibus, horis tenebrosis et gravibus, quae etiam temporibus nobis propinquis eventus terrae vestrae signaverunt.

In Ecclesia, in eius doctrina, in eius opere evangelizationis, in eius servitio unitatis et veritatis, populus vester semper invenit historiae suae significationem, suam peculiarem naturam, causas cur viveret et speraret. Iuvat Nos hic repetere quae globo Lettonico diximus, qui Romam convenerant celebraturi octies centesimum annum, ex quo terra vobis vicina, Livonia, facta est christiana: “ Ubi verbum Dei, etsi in impedimentis omne genus, penetrat intimam populi conscientiam et hac accipitur, semper efficit cognitionem, quam populus hic habet de se ipso deque sua historia. In auditione verbi Dei populus suam veram agnoscit naturam” (Ioannis Pauli PP. II, *Allocutio ad quosdam Lettones, octavo expleto saeculo a consecratione episcopi Meinardi, habita*, 1, die 26 iun. 1986: *Insegnamenti di Giovanni Paolo II*, IX, 1 (1986) 19288 s.).

Hoc vero eo significantius apparet, quod, simul cum Ecclesia, alterum praesidium Lithuanis fuit familia: sane quidem, familia christiana, vera “Ecclesia domestica” (*Lumen Gentium*, 11), firmiter religata ad bona fidei, quae in amore vivit, in incommodo, in mutua donatione. In patria vestra familia christiana semper in sua vocatione mansit accipiendi, custodiendi et tradendi filiis singulare donum “Baptismi”, facta ita, secundum pulchra verba Concilii Vaticani II, “schola quaedam uberioris humanitatis” (*Gaudium et Spes*, 52).

Ecclesia et familia, etsi in multis impedimentis et obstaculis, semper vivam servaverunt fidem et culturam, quarum merito Natio naturam suam et conscientiam sui non amisit. Et nunc quoque, dum multas ad rationes, tempora non secundiora sunt quam olim, Ecclesia et familia manent custodes huius sacri et inviolabilis depositi, sanctuarium magnorum et christianorum “valorum”: libertatis conscientiae, dignitatis personae humanae, hereditatis patrum, traditionis culturae, et impulsus virium moralium, quas illae in se continent et in quibus spes est posita in futurum.

8. Sescenti christianae vitae in Lithuania anni testimonia subministrant prorsus innumerabilia intermissae numquam Spiritus Sancti operae, a quo proprii fructibus (*Gal.* 5, 22) vestra est Ecclesia exornata, cum virorum ipse mulierumque turmas excitaret sane quidem dignorum qui veri agnoscerentur Christi adsectatores. Una ideo velimus hoc loco non nullas vobiscum species celebrare filiorum ac filiarum Lithuaniae, a quibus nota indelebilis virtutum fervorisque eorum apostolici in sensibus populi intimis est impressa.

Cogitationes ac deprecationes in primis ad Sanctum Casimirum convertuntur quem anno iam MDCXXXVI Urbanus VIII decessor Noster apud Deum Lithuaniae renuntiavit patronum. Tres igitur abhinc annos magnis profecto sollemnibus, quingentesimam commemoravistis obitus ipsius anniversariam memoriam iique iubilares ritus, quos vehementer participare cupimus vobiscum quin immo cum universa Ecclesia, communitati vestrae ecclesiali acciderunt tamquam singulare gratiae eventum.

Praeclara ortus ex progenie Iagellonum Casimirus princeps virtute insigniter excellebat et “consummatus in brevi explevit tempora multa” (*Sap.* 4, 13). Post minus scilicet quam saeculum maturus ipse fructus exstitit “Baptismi” suae gentis. Vilnae tandem in media illius Nationis parte est humatus, cuius reliquiae constantissima pietate iam quinque saecula coluntur ac proinde convenienter omnino cumulabuntur celebritates terminabunturque apud ipsius tumulum.

Lucidum castitatis et caritatis exemplum, necnon demissi animi et ad fratribus serviendum prompti, nihil praetulit Casimirus Christi amori suisque ab aequalibus nomen honorificum promeruit “pauperum vindicis”. Confirmavit denique illum decessor Noster Pius XII caelestem patronum totius iuventutis Lithuaniae eiusque proposuit “nobile et certum exemplum” iuventae, quae iniquis temporibus adolescit cuiusque virtus nullis non impetitu artibus (Pii XII, *Litterae Apostolicae quibus S. Casimirus, confessor, totius iuventutis Lithuaniae praecipuus apud Deum caelestis patronus confirmatur*: AAS 42 (1950) 380-382).

9. Episcopum dein meminimus Samogitiae *Melchior* *Giedraitis* sincerum Reformationis Tridentinae apostolum, quem incidente trecentesimo quinquagesimo ipsius anno a morte venerandus Noster decessor Ioannes XXIII rursus exhibere statuit Ecclesiae Lithuaniae pastoribus velut exemplar prorsus sectandum. Eximius pietate sacerdotalique virtute vir et fortis ac prudens, adsiduo suo maxime apostolatu ostendit “qui sit pro fide catholica certare eandemque omnibus defendere viribus” (Ioannis XXIII, *Epistula ad Lithuaniae episcopos, trecentesimo et quinquagesimo volvente anno a pio Melchioris Giedraitis, episcopi, obitu: AAS 52 (1960) 40-43*).

Quem ad modum Timotheo Paulus confitetur, et ipse militavit “bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt” (*1 Tim. 1, 18-19*): cum haeretica magis usque doctrina propagaretur perstaretque quibusdam in regionibus consuetudo prioris vitae paganae, sese praestitit Episcopus Giedraitis vindicem novi spiritualis ortus, dum clero instituendo operam navabat et sacras aedes excitabat et semet ipsum etiam praesens debebat catechizando populo sua propria natali lingua.

Superiore autem saeculo vestigia eius persecutus est successor in dioecesis Samogitiae gubernatione, Episcopus *Matthias Valančius*. Huius vero pastorale regimen simul incidit in obscura ac tristia Nationis tempora, cum cuidam vitae discrimini ac periculo obiceretur ipsa eius proprietates civilis ac religiosa. Quibus in rebus adversis eminuit Episcopus Valancius non tantum uti sollers ac providus gregis divini pastor, sed et populi sui solidus ductor moralis. Restant enim ferventes illius cohortationes sacerdotum ac parentum christianorum ut conscientiam sibi acuerent proprii officii, videlicet iunioribus aetatibus tradendi non fidem modo maiorum, verum divitias etiam morum ac religionis usum eiusdem populi proditorum memoriae.

Eodem praeterea tempore Praesul Valancius incumberebat in perdifficile quidem at optime meritum opus redintegrandi religiosam populi indolem per catechesim atque institutionem, quae clam magnoque comparabatur cum periculo. Suas iuxta matres legere tunc discebant pueri ac scribere secundum ipsos catechismi locos. Effecerunt quoque prudentia et magnanimitas Antistitis Valančius, quibus maiores vestri liberaliter sane fortiterque responderunt, ut vel iis gravibus omnibus temporibus Verbi Dei semen haud interiret, circa quod tota sociabatur Natio sua in summa iunctissima.

10. Iuvabit plurimum Nos huius Iunii mensis duodetricesimo die ad altarium tollere liturgicos honores alium Ecclesiae Nationisque Lithuaniae filium, Servum Dei *Georgium Matulaitis* sexaginta solum abhinc annis vita functum. Hic porro germanus “servus et apostolus Iesu Christi” (*2 Petr. 1, 1*). Vilnae fuit sacer pastor in posterum longe providens atque universos erga filios suos, etiam remotissimos, diligens. Fideliter suum episcopalem adservans titulum: “Bono vincere malum”, proprio in ministerio in complures incurrit gravesque difficultates cum omnium se servum fecisset ut plures lucri faceret (*1 Cor. 9, 19*) et cum unum ac solum procuraret Ecclesiae commodum animarumque salutis.

Eius coniunguntur cum fructuoso ecclesiali ministerio multiplicia incepta pastoralia, ex quibus memorare cupimus apostolatus laicorum opera necnon socialis Ecclesiae doctrinae disseminationem, unde christifideles incitare studebat proprium ad officium omnia in Christo instaurandi. Ipsi insuper adscribenda est tum Congregationis Clericorum Marianorum reformatio tum fundatio Congregationis Sororum ab Immaculata Conceptione atque Ancillarum Iesu Eucharistici.

A decessore Nostro Pio XI apostolicus destinatus visitator Lithuaniae idem Servus Dei adeo studiose operatus est et prudenter ut excitare ille Pontifex potuerit ecclesiasticam Provinciam Lithuanam litteris apostolicis, quibus initium “Lithuanorum gente”, die quarto mensis Aprilis anno MCMXXVI editis. Hinc nimirum effloruit catholica vita insigniter variis suis in partibus: catechesis et vocationum sacerdotalium religiosarumque, operum catholicae actionis, multiplicium motuum culturae ex Evangelio progredientium.

Sic ab Episcopo Matulaitis sparsum bonum illud semen peperit centuplum novumque adduxit ver ipsius Ecclesiae. At se quoque ipsum convertere volebat in semen quod cadens in terram moreretur nec solum maneret, sed multum fructum adferret (*Io. 12, 24*), perinde ac testificatur haec permovens precatio quam veluti testamentum nobis reliquit suo in Diario spirituali quamque hodie vobiscum iterare placet: “Fac, Domine Iesu, ut pro Ecclesia Tua me immolem et pro salute animarum sanguine Tuo redemptarum, ut tecum vivam et tecum laborem, ut patiar tecum et, quem ad modum opto, tecum moriar ac regnem” (*Diarium, die 17 aug. 1911*).

11. Silentio tandem transire nolumus copiosam illam filiorum filiarumque terrae vestrae multitudinem qui hisce sex procedentibus saeculis manifesta fortitudine sunt fidem professi in “Baptismo” receptam, quo dein nulla difficultas, vel asperrima etiam, unquam valuit a caritate separare Christi (*Rom. 8, 35*). Episcopi sunt et sacerdotes, religiosi ac religiosae, catechistae simplicesque christifideles qui opprobria adierunt et discrimina, qui dolores pertulerunt ac non nunquam vexationes usque ad exsilium, carcerem, deportationem ac mortem, “gaudentes . . . quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati” (*Act. 5, 51*).

Gratiam ipsi testificantur quam Suae Ecclesiae pollicitus Dominus est ut “per tentationes . . . et tribulationes procedens . . . in infirmitate carnis a perfecta fidelitate non deficiat sed Domini sui digna sponsa remaneat, et sub actione Spiritus Sancti, seipsam renovare non desinat, donec per crucem perveniat ad lucem, quae nescit occasum” (*Lumen Gentium*, 9). Porro per illos est Spiritus locutus etiamque loquitur vestram ad Communitatem atque cunctam ad Ecclesiam catholicam. Eorum crux, quam ii cum redimentibus Iesu doloribus consociati susceperunt, gratiae facta instrumentum est et sanctificationis.

Lectissima profecto haec turba confessorum ac martyrum est. pro qua hodie vos Domino gratias habetis, merito cum sentiatis vos idcirco laetos ac superbos. Cohortamur ideo vos ut vestris cum fidelibus splendidum eorum complectamini exemplum: ut fidei vita magis inde firma fiat sibi que constans, ut apostolatus usque sedulior inde nascatur operibusque caritatis ditior, ut Dei voluntati adhaereatis conscii videlicet ac prompti, quae in cuiusque vocatione sese declarat.

At iuvenes inter vos in primis adloqui volumus: venturam enim Nationis fortunam suis tamquam manibus gerunt, quam in novum christianae aetatis Millennium inducent. Adulescentes fidelis magnanimaeque Lithuaniae! Patrum vestrorum hereditatem gaudentes recipite fidentesque! Vestris in animis testificationem suscipite interdum plane heroicam, quam vobis illi reliquerunt, amoris erga Christum atque Ecclesiam! efflicite ut vester sit inestimabilis hic thesaurus eoque digni estote! Fiat ipse in vobis spei magnae germen.

12. Carissimi in episcopatu ac presbyteratu Fratres, religiosi ac religiosae, et vos omnes fratres sororesque longinquae etsi Ecclesiae, Nobis tamen proximae uniceque dilectae, filii ac filiae Nationis nobilissimae! Episcopus Nos Romanus atque universalis Ecclesiae Pastor, vobiscum una flectimus genua coram Sancti Casimiri reliquiis; vobiscum Deo grates referimus omnium bonorum largitori ob vestri “Baptismi” donum; pro vobis obsecramus “ut dignetur vos vocatione sua Deus noster et impleat omnem voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute, ut glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in vobis, et vos in illo” (2 *Thess.* 1, 11-12).

Totius iam Ecclesiae nomine commendamus Deo hereditatem fidei Nationis vestrae eumque exoramus: benedic atque custodi opus quod haec per sex saecula effecisti!

Propitius esto, Pater omnipotens, his Tuis filiis, quos ex tenebris ad veritatis Tuae fulgorem attraxisti. Spiritum Tuum Sanctum in eorum effunde animos, Spiritum veritatis et consolatorem, ut in sua Natione praesentem reddere possint Tui Filii Paschatis fecunditatem.

Concede huius populi, qui Tuus est, pastoribus ipsis pietatem ac sapientiam ut ad vitae pascua gregem perducant. Perfice, Deus omnipotens, ut pace plenaque libertate sacro suo fungi queant ministerio.

Lumen Tuum ac robur, eorum adde animis, quos vocavisti tibi ut sese consecrarent, quo certius ipsi perseverent discantque se sine condicione devovere. Numerum illorum quoque duplica qui ad sacerdotium vocationem amplectuntur et ad religiosam vitam; magnanimum eorum confirma propositum et effice ut in divini Tui ministerii semita, amotis omnibus impedimentis, progrediantur.

Ad familias, Domine, Tuo in amore coniunctas oculos benignus advertet. Cum gaudio conscioque officio fac ut vitae donum accipiant, tua ut auxiliante gratia crescere valeant mutuo suo amore. Parentes vero filiis suis sciant donum fidei recte committere una cum solido vitae testimonio revera christianae.

Praecipui amoris adspectum Tuum, Deus omnipotens, in Lithuaniae iuvenes intende. Magnam enim in animo spem fovent: fortes eos redde ac puros ut fidenter venturam suam vitae aetatem exstruere possint. Concede ut liberi ii fidei donum maiorum suorum excipere valeant, idque grata mente suscipiant et magno animo evolvant.

Populorum Dominus es omnisque hominum generis Pater. Benedictionem Tuam super hanc Tuam Lithuaniae familiam devocamus: secundum suam conscientiam consecretur vocem Tuam per vias vocantem, quae primum, sex ante saeculis, sunt ei patefactae. Quod autem ea ad Tuum pertinet regnum sanctitatis ac vitae, a nullo id existimetur cum patriae terrestri bono dissentire. Semper Tibi et ubique referat illam denique laudem quae Tibi debetur testeturque libere ac tranquille veritatem et iustitiam et caritatem.

Huic, Domine, benedicto Nationi eique vultum Tuum ostendens pacem etiam concedito Tuam.

Nunc autem cum plenae devotionis adfectu ad te decurrimus, dulcissima Christi et Nostra Mater, dum verba Nostra cum iis commiscemus, quibus filii filiaeque Tuae Lithuaniae fidentes Tuam implorant deprecationem. Mater misericordiae!

ad Te confugit hic populus sub Tuumque praesidium se conicit: ne despicias preces illius in necessitatibus; ex periculis eripe eum et Tuum ad Filium pervehe.

Tu Mater, memoria Ecclesiae es. In corde enim Tuo eventa hominum conservas ac populorum. Tibi proin recordationem hanc commendamus sescentorum ipsorum annorum christianae vitae fratrum et sororum Lithuaniae Tibique supplicamus eos ut adiuves, unde hoc etiam tempore ac semper fideles sint Christo atque Ecclesiae.

Vobis tandem, Venerabiles et Carissimi Fratres, vestrisque fidelibus, immo universis per orbem Lithuanis dispersis, Apostolicam Nostram Benedictionem plurimo cum amoris sensu dilargimur.

Ex Aedibus Vaticanis, die v mensis Iunii, anno Domini MCMLXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

IOANNES PAULUS PP. II